



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 8. Realis & spiritualis communionis differentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

non possint aliunde. Quanquam non opus est, ut ea miraculis semper impleat: implet satis, si divinam gratiam implet. Quod etiam facit per *spiritualem communionem*.

§. VIII.

Realis et spiritualis communionis differentia.

Nam hic mihi silendum non est, quod Theologi, cum D. Thoma Aquinate, omnes docent, atque ex hac ipsa Dei bonitate consequens est; eos, quibus, quacumque demum ex causa, non conceditur, SS. Eucharistiam *Sacramentaliter* sumere, quam frequentissime illam saltem *spiritualiter* sumere aut posse, aut oportere. Gratissimum enim est Christo, corde ei nos iungi, si ore simul iungi non possimus. Nobis autem hac coniunctio prorsus necessaria est. Neque ea res fructu caret. Quia effectum Sacramenti magnum percipere potest, qui Sacramentum habet in voto, tamen si illud in re non accipiat. Quemadmodum enim multi *baptismo flammis* baptizantur antequam baptismo aquae baptizentur, propter inflammatum baptismi desiderium; ita etiam plurimi SS. Eucharistiam *spiritualiter* manducant, eam impense desiderando, licet *Sacramentaliter* non

S. Thom.
3. p. 7. 20.
art. 1. 2.

Idem. q.
69. art. 4.
ad 2.

manducent; aut antè, quàm manducent
qua manducatione spiritali itidem perci-
pitur effectus huius sacramenti. Etenim ho-
mines, in ea, Christo, per fidem, & chari-
tatem, spiritaliter coniunguntur. Credunt
enim & amant, quod desiderant. Fides au-
tem Christo intellectum, amor vnit volun-
tatem. Neque tamen idcirco *sacramentalis*
& *realis* manducatio superuacanea censen-
da est: siquidem, vt D. Thomas ait, *plenius*
inducit sacramenti effectum, ipsa sacramenti
susceptio, quam solum desiderium. Qui enim
simul *spiritaliter & realiter, seu sacramenta-*
liter Eucharistiam sumunt, *maiolem copiam*
gratia & virtutum consequuntur: quia præ-
cepto realis sumptionis, aut institutioni
Christi parent: & ordinariè magis ad se Deo
cõiungendos excitantur; ac ex opere operato
fructum consequuntur: cum *spiritalis com-*
muniõ sit tantum op⁹ operantis, nec impleat
præceptum realis sumtionis, quando ea ha-
beri potest. Quare neque *communio realis*
est negligenda, neq; *spiritalis* non frequen-
tissimè vsurpanda; vt & illius fructu maiore
potiamur, & adipiscamur hunc, quoties in
die volumus, obuium ac opportunum. Quem
etsi Sanctissimi quique maximè appetant,

tamen

tamen etiam sectari possunt peccatores. Isti enim, dum à Sacramentali cōmunionē ab-
stinent, memores illius: *Qui manducat, &* **I. Cor. II.**
bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, **29.**
(quia rem tam sanctā irreuerenter tractat ;)
possunt tamen licitè sacramentum hoc *spiritualiter* sumere, hoc est, desiderare; atque
ita, Christo spiritualiter coniungi, per fidē,
& actualem charitatem, seu contritionem
de peccato; ob quod se hoc Angelorum pane
indignos iudicant, quodque abolitum vo-
lunt, vt digni fiant. Qua proinde spiritua-
li communione, non peccant; quia eam fal-
sitate non committunt, quam commit-
tunt, qui illud *realiter* sumunt peccato mor-
tali astricti. Significant enim isti, se Chri-
sto vnitos, & membris eius incorporatos,
quòd tantum fit, per fidem formatam, quæ
in peccatoribus non est, in quibus non est
habitus charitatis: non significant autē hoc,
qui tantum *spiritualiter* communicant, sed
significant, se optare esse coniunctos; siue
re ipsa coniuncti sint, siue non, sed tantum
coniungi desiderent, desiderioq; se iungant,
& implicita contritione (si non expressa)
profiteantur, seiungi se ab illo, peccando
meruisse. Sicut ergo infidelis Baptismum,

sicut adulter Sacramentum Pœnitentiæ, ita & quiuis peccator, per fidei & actualis charitatis exercitium, potest Sacramentum Eucharistiæ desiderare. Quo desiderio in sui despectum, & in peccati detestationem venit, videns se, suâ culpâ, sacramentali Eucharistiæ sumptione & tam sacro conuiuio, sine veste nuptiali charitatis habitualis, indignum esse; cuius proinde desiderio, vult peccata deponere, vt dignus fiat, qui ad mensam regiam accedat. Vt enim olere domestico abstinent, ad nuptiales epulas inuitati; sic, qui desiderio tenentur cœlestis ambrosiæ, libenter contemnunt cramben peccatorum toties repetitam. Vtilissima itaque est etiã peccatoribus sumptio spiritualis Eucharistiæ, impetrâtque à Deo, tandem sumptionem quoque sacramentalem. Alexander Macedo, dijs sacrificans, ac citra parsimoniam thura in ignem sæpius iniiciens (licet Leonida pædagogo reclamante, & dicente, vt tam sumptuosè sacrificaret, cum thuriferam subiugasset regionem) etiam aromatiferam regionem adeptus est: ita qui erga Deum non sunt auari, sed quàm largissimè *spiritualiter* communicant, id assequuntur, vt eis Deus, vel per homines, vel per modos,

extra

Plutarch.
in apoph-
theg. A-
lex. Mag.

Macedo, dijs sacrificans, ac citra parsimoniam thura in ignem sæpius iniiciens (licet Leonida pædagogo reclamante, & dicente, vt tam sumptuosè sacrificaret, cum thuriferam subiugasset regionem) etiam aromatiferam regionem adeptus est: ita qui erga Deum non sunt auari, sed quàm largissimè *spiritualiter* communicant, id assequuntur, vt eis Deus, vel per homines, vel per modos,

extra communem ordinem, atq; etiam miraculosos, cōmunionem sacramentalem impertiat. *In vijs iustitiæ ambulo*, inquit, *in medio semitarum iudicij, ut ditē diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Quam quidam calidè optant, thesauros suos repleri? cur hīc inopiam amant? Quam multi dies noctēsque, inter pocula, & in vino versantur, nec aliud cogitant, quàm comessationes? cur calicem Domini non sitiunt, cur non esuriunt frumentum electorum? Quis cibus DEO dulcior, quis suavior potus, quàm sanguis Christi? Dicebat olim Booz ad Ruth, ut cum messoribus intingeret buccellam in aceto, & ut liberrimè spicas colligeret: ob quam liberalitatem illa mox eū, super terram adoravit. Christus iubet nos, in sanguine suo, non buccellam, sed animam nostram lavare, & in aceto memorialis Passionis suæ intingere; & non cadimus in terram? non venimus? non adoramus? immò nec esurimus, nec sitimus. Alioquin utiq; qui vult nos cibum dare esurientibus, ac sitientibus potum; ipse etiam in cibum nobis se daret, & in potum. In quā rem plura libet exempla apponere.

Prou. 8.
20.

Ruth. 2.
10.

§. IX.